UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

I. De insidiis antiqui hostis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Visual Library

ad hanc libellum exhortatorium ſcribere deberem. Sed ſcire te neceſſe eſt, fili cariſſime, quia tantis podagræ doloribus, tantiſque curarum tumultibus premor, vt quamuis nunquam me aliquid fuiſſe reminiſcar, valde tamen me videam non eſſe qui fuerim.

I.

Quod autem tua ſe caritas & vltra ætatem quinquagenariam adhuc iuuenilibus deſideriis aſſerit ſubiacere, in hoc quoque diuini oraculi implet præceptum, quod ſcriptum eſt: *Juſtus in principio accuſator eſt ſui.* Nec tamen dubito maiores te inſidias hoſtis callidi perpeti, qui maiora contra eum bella præparaſti. Tanto quippe ille deceptionis molimina ardentius exquirit, quanto te cæleſti patriæ feruentius inhiare cognoſcit. Et nos quidem qui vitam cum pluribus ducimus, etſi formidoloſi ac timidi, tamen quia contra antiquum hoſtem bella propoſuimus, quaſi in acie ſtamus. Vos autem qui ſolitariam vitam ducitis, quid aliud quam monachos dixerim, qui feruore virtutis etiam ante aciem exire feſtinatis? Cur ergo eum non ſingulariter hoſtis impetat, a quo ſe impeti ſingulariter ſpectat? Et nos quidem qui inter homines viuimus, ſæpe per homines a callido hoſte tentamur. Vos autem qui viam vitæ præſentis extra hominum frequentiam ducitis, tanto maiora certamina pati neceſſe eſt, quanto ad vos ipſe tentationum magiſter accedit. Neque enim vacare orationibus ac laudibus Dei ſine aliqua interruptione temporis poteſtis: quia etſi intentio continue prompta eſt, ipſa tamen humanitatis infirmitas ad ſemetipſam relabitur, vt aliquando feſſa iaceat, atque ab ſtudii ſui exercitatione torpeſcat. Antiquus vero hoſtis mox vt otioſam mentem inuenerit, ad eam ſub quibuſdam occaſionibus locuturus accedit, & quædam ei de geſtis præteritis ad memoriam reducit, audita quondam verba indecenter cogitationi reſonat; & ſi qua dudum turpiter acta ſunt, eorum ſpecies oculis cordis apponit; vt quem de præſentibus non valet inquinare, de malis tranſactis violet. Et decepta mens ſæpe inde in delectationem rapitur, vnde diu iam ſe per pœnitentiam afflixit; ita vt vere cum Pſalmiſta dicat: *Computruerunt & deterioratæ ſunt cicatrices meæ a facie inſipientiæ meæ.* Cicatrix quippe figura eſt vulneris, ſed

Prou. 18.

Pſalm. 37.

sanati. Cicatrix ergo ad putredinem redit, quando peccati vulnus, quod iam per pœnitentiam sanatum est, in delectatione sui animum concutit. Sæpe quod nunquam fecimus, per hostis callidi insidias cordis oculis videmus. Cumque insensibiliter in hoc delectatio surripit, quamuis iam plangat quæ fecerat, tædet tamen infelicem animum quædam non fecisse quæ plangat. Hæ sunt cordis nostri tenebræ, quas in hac vita volentes nolentesque sustinemus. Quis contra hæc quærendus est, nisi adiutor in opportunitatibus in tribulatione?

II.

Valde autem libenter accepi quod tua me caritas de sua dubitatione requisiuit, an orientales ecclesiæ fidem atque doctrinam sanctæ memoriæ Leonis sequantur; ne fortasse earum sensus inter semetipsas pro trium capitulorum defensione diuisus sit. Vnde certam dilectionem tuam esse desidero, quia prædictæ sanctissimæ orientales ecclesiæ vno sensu, vna doctrina fidem eiusdem sanctæ memoriæ Leonis tenent, sanctamque Calchedonensem Synodum ita nobiscum custodiunt atque venerantur, vt nullus esse episcopus reputetur, qui eiusdem Synodi defensor sectatorque non fuerit. Hinc est enim vt quotiens in quatuor præcipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Calchedonensem Synodum cum aliis generalibus Synodis custodire fateantur: sicut & nos auersamur, atque anathemate plectendos ducimus, si quis de fide eiusdem Synodi aliquid imminuere, vel aliquid in ea addere præsumit. Nam Synodus quæ post eam generaliter facta est, idcirco a nobis recipitur, quia eiusdem Synodi in omnibus sequax, honorem illius auctoritatemque custodit. Vnde necesse est vt dulcissima mihi tua dilectio, in hoc quod præcipue in bonis moribus viuit, quod se per abstinentiam affligit, quod doctrinæ Dei vehementius insistit, hoc studiosius cogitet, ne errorem schismaticorum sequens, a sancta vniuersali ecclesia diuisa possit inueniri. Et quid tot labores proderunt, si in vnitate fidei inuenta non fuerit quæ ante Dei omnipotentis oculos in bonis actibus animam præcipue custodit? Hinc enim dicitur: *Vna est columba mea, perfecta mea.* Cant. 6. Hinc ad Moysem Dominus dicit: